

196

8

Dd.2.

+

Wauff
hebt Miethe nicht auff/
SIVE
COMMENTATIO,

Ad L. Emptorem 9. Cod. de loc. & cond.

QVA

Communis sententia & hinc enata vul-
garis paroemia:

Wauff geht vor Miethe:

Denuò & fusius refellitur,

AUCTORE

HERMANNO ZOLIO,

Jcto, Consiliario Hassiaco & Professore Juris in
Academiâ Hasso-Schaumburgicâ Primario.

Anno



1705.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Prostas NICOLAI FORSTERI, Bibliopol. Hannov.

RINTHELI,

Sumptibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ.

Cicero.

In disputando non tam auctores
qvam rationis momenta qvæ-
renda sunt, nec multitudo erran-
tium ullum affert errori patro-
cinium.



PRÆFATIO.



*Nterpretes Ju-
ris Romani, uti nemini in jure
vel parum versato ignotum
est, inter modos finiendi loca-
tionem referunt, si res locata
alienetur aut vendatur, ideo-
que alienatione aut venditione
rei locatae ipso jure finiri loca-
tionem & singularem succes-
sorem contractui locationis*

*stare non teneri, sed conductori propter intempestivam
expulsionem tantum adversus locatorem actionem ad
interesse competere, nisi pro observatione contractus
hypotheca sibi profixerit, uno ore docent, ac tradunt,
Quæ quidem sententia adeo in foro invaluit, ut etiam*

A 2

in

in vulgarem paræmiam: Rauff geht vor Miehe:
 abierit. Sed cùm hanc sententiam jàm dudum erro-
 neam deprehendissem, publica quadam disputatione
 An. 1687. hic habitâ perspicue satis, ut mihi quidem
 videtur, errorem istum ostendi. Uti autem commu-
 nes & tritæ sententias in dubium vocare ægrè ferri
 solet, ità etiam contigit, ut theses nostræ à VIRO
 Consultissimo & Excellentissimo Domino OTTO-
 NE PHILIPPO ZAUNSCHLIFFERO, JCto in
 Marpurgensem Academia celeberrimo, affine
 nostro honoratissimo, per vindicias communis sen-
 tentia fuerint impeditæ, his ego An. 1690. refutatio-
 nem possum, quam Consultissimus Dominus AN-
 TAGONISTA per vindicias vindiciarum An. 1691.
 elidere conatus est. Qvibus ego quidem tempestivam
 responsonem debebam, sed oitis occupationibus tunc
 temporis impeditus hanc stationem negligere coactus
 fui, & quia mentem meam me satis explicuisse mihi
 videbatur, cum viro amicissimo serram contentionis
 ulterius reciprocare animus non erat, unde factum
 est, qvod Excellentissimus Dominus ANTAGO-
 NISTA moram hanc pro tacita responsonis renun-
 ciatione non immerito accipiens totam nostram colla-
 tionem de genuino sensu legis 9. Cod. de loc. & cond.
 An. 1698. recudi & doctissimis suis scriptis & tracta-
 tibus jamdum inseri curaverit. Sed cum postea
 omnibus paulò accuratius perfectis & perpenitus de-
 prehenderem, me textus qui de expulsione conductoris
 loqvuntur, paulò benignius, quam rigor Juris Ro-
 mani efflagitat, exposuisse, ideoque omnem scrupulum
 vina



vindiciis non ademisse, opera & pretium esse duxi in
majorem veritatis elucidationem argumentum hoc
de intempestiva expulsione conductoris, præsertim,
cum istud in foro satis freqvens, & secundum
ANTONII FABRI de Error, pragm. decad. 26.
error. 8. num. 1. Sententiam errores, qui in foro
invalescent, periculostiores sint, quam qui in scho-
la, ad incudem revocare & errorem communem
magis perspicue & clarius, quam hactenus forsitan
factum est, adductis eum in finem ipsis fontibus,
quibus communis & mea sententia eidem contraria
fundatur, in aprico ponere. Qvod quidem tanto
melius & explicatus me facturum esse arbitratus
sum, si thema aliquod, in quo totum hoc argumen-
tum, quasi in summa & breviter ob oculos ponitur,
præmitam, illudque distincte per textus & juris
rationes comprobem & illustrem, notatissimul nœvis
ipius Juris Romani, qui in hoc argumento
occurunt.

The-

Thema.

Non alienatione aut venditione rei locatae, sed expulsione Conductoris I. Et quidem ejus tantum, qui prædium rusticum seu fundum conduxit & colonus appellatur, locatio Jure Civili finitur II. Cum enim ex ejusdem juris supposito Conductor, maximè autem colonus, non possideat III. Ideoqve ei expulso remedium recuperandæ possessionis non detur IV. Et emtor similisve singularis successor tali expulso colono ad interesse agenti stare non teneatur, nisi ea lege, ut colonus in eadem conditio-
ne maneat, emerit. V. Licet quidem Emptori similive successori singulari colonum etiam



etiam ante finitum tempus locationis , si
potest, propria autoritate VI. Adeoqe
etiam resistentem per vim impunè expelle-
re VII. Et hoc modo locationem finiri
necesse est. VIII. Colonus tamen intem-
pestivam illam expulsionem pati & singulari
successori cedere non tenetur IX. Sed ex-
pulsioni resistere & judicio conventus ex-
ceptione contractus nondum finiti , uti
locatorem ejusqve heredem X. Ita etiam
successorem ejus singularem removere pot-
est XI. Præterea colono ex intervallo,
postqvam restitutionem fundi denegavit ,
dejecto interdictum *unde vi* contra qvem-
vis dejicientem competit XII. Cedere
igitur non tenetur , etiamsi id , quod ejus
interesse probaverit , solvendum ei offera-
tur XIII. Ædium autem Conductorem
seu inqvilinum , nisi certis casibus , nec lo-
catori nec ejus successori quamvis singula-
ri , intempestivè expellere licet XIV. Ei-
que de facto expulso remedium recupe-
randæ possessionis contra Locatorem ejus-
qvc

que successorem etiam singularem competit XV. Imo Jure Canonico quilibet conductor durante contractu in possessione sua etiam contra singularem successorem defendendus est. XVI. Quod & naturali rationi & æquitati convenit XVII. Cujus hoc in casu, quo Jus Civili falsa hypothesi nititur & peccatum foveat XVIII. Et communis opinio manifesto errore & iniqvitate laborat XIX. In iudiciis Christianis merito potior habenda est ratio, XX.

EXE-

EXEGESIS.

§. I.

Raditionem illam
communem, quasi alienatione
aut venditione rei locatæ con-
tractus ipso jure finiatur, nec
alter alteri ulterius obligatus
sit, ideoque Conductorem sin-
gulari successori cedere teneri
oppidò quam erroneam esse, uti jamdudum ostendi,
ita etiam in eadem sententia adhuc persisto, eamque
ulterius jam firmaturus sum. *Quod enim alienati-*
onem rei locatæ, quo nomine omnis actus venit, quo
dominium vel aliud jus in re in aliquem transfertur.
l. ult. cod. de reb. alien. non alien. attinet, ita Julianus
à Tribonianò in l. 32. ff. loc. cond. relatus scribit. *Qui*
fundum colendum in plures annos locaverat, decessit,
& eum fundum legavit. Cassius negavit posse cogi
colonum, ut eum fundum coleret. *Quia nihil heredis*
interesset, quod si colonus vellet colere, & ab eo, cui
legatus esset fundus, prohiberetur, cum herede actionem
Colonum habere. Et hoc detrimentum ad here-
dem perinere, sicuti si quis rem, quam vendidisset, nec
dum tradidisset, alii legasset, heres ejus emptori & le-
gatario esset obligatus. Ecce! Cassius à Juliano
ibidem

B

¶

ibidem allegatus nullo verbo indigitat, fundo legato
finiri locationem, sed tantum quod hoc in casu, ubi
fundus purè legatus est, hæres Colonum invitum ad
ulterius colendum fundum cogere nequeat, non
ideo, quia contractus ipso jure finitus est, uti com-
munis schola tradit, sed, quia hoc in casu, quo fructus
fundi ab adita hæreditate non ad hæredem sed ad le-
gatarium pertinent *l. 7. §. 5. ff. de dol. mal. l. 44. §. 1.*
l. 86. §. 2. l. 120. §. 2. de leg. 1. hæredis nihil interest co-
latur fundus nec ne: si igitur colonus ex locato con-
ventus hanc exceptionem: *Tua nihil interest:* oppo-
nat, inanis redditur actio hæredis, atque hoc modo
omnino quidem finitur locatio, non quidem propter
alienationem rei locatae, sed ob cessans interesse hæ-
redis. Quæratio communis est omnium conven-
tionum: scilicet, ut unusquisque rem suam familia-
rem augeat, & adquirat, quod sua interest *§. 18. Inst.*
de util. stipul. Hac igitur cessante ipsam conven-
tionem: & exinde descendenter obligationem ad
intereste cessare necessæ est, *l. 3. §. 9. ff. ad exhib.* Et
ob hanc rationem cessantem Conductor cogi non
poterit ab hærede, etiamsi fundus legatus non sit, sed
testator liberationem à mercede conductorile legave-
rit, atque ita non nisi conductoris fundum coli inter-
sit. E contrario, si legatus sit fundus hoc modo: Ut
colonus in conductione maneat: Alienatio illa con-
tractum non finit, sed non obstante alienatione ex-
tententia Caffii hæres cogere poterit Colonum ut-
coleret, quia tunc illius interest, argumento à con-
trario sensu desumpto, quod in jure firmissimum
credi-

creditur Everb. in topicis suis loco à contr. sensu n. i.
& seqq. Planè si colonus vellet colere, & à Legatario prohibeatur, ex ratione juris Romani, quippe quod Colono isti prohibito possessionem & consequenter remedium ejusdem recuperandæ denegat, locationem quidem finiri necesse est, sed hic eventus prius est exspectandus. Quid enim si legatarius Colonum non prohibeat, vel quod proprii sui commodi causa, vel ex benevolentia eum prohibere nolit, vel ob dispositionem testatoris, qui fundum salvo contractu legavit, vel ob resistantiam coloni eum prohibere non possit aut debeat? Sane, hoc in casu finitum esse contractum, ac proinde Colonum ad præstandam pensionem non teneri nemo dixerit. Similiter ex eo, quod Ulpianus in l. 120. §. 2. de leg. i. scribit: *Fructus ex fundo pure legato post editam hæreditatem à legatario perceptos, ad ipsum pertinere: Colonum autem cum hærede ex conducto habere actionem.* Hoc quidem patet, quod Colonus fructus, quos legatarius ex fundo pure legato post editam hæreditatem de facto percepit, ab eo vindicare non possit, siquidem Colonus fructuum dominus aliter non sit, nisi ipse vel alius ejus nomine eosdem percepit. §. 36. *Inst. derer, div. l. 61. §. 8. ff. de furt. l. 60. §. 5. ff. loc. cond.* Non autem contractus hoc ipso, quo fundus pure legatus est, cessat, sed, quod hic finiatur, efficit perceptio & præceptio fructuum, quo ipso Colonus utriusfrui prohibetur, eique hujus injuriæ reparandæ causa nulla alia actio quam sola illa ex Conducto ad interesse adversus hæredem competit. Si igitur legatarius

fructus non præripiat atque ita colonum uti frui non
 prohibeat, vel quod nolit, vel quod ob resistentiam
 Coloni non possit, contractus non est finitus. Porro
 Paulus in l. 59. §. 1. ff. de usufr. ait: *Quicquid in fundo
 nascitur vel quicquid inde percipitur ad fructua-
 rium pertinet: pensiones quoque jam antea locatorum
 agrorum* (ex quibus Colonus fructus naturales qui-
 dem antea percepit, sed pensionem adhuc debet)
*si ipse quoque specialiter comprehensa sunt, (aliоquin
 illae ad locatorem pertinent l. defuncta 58. ff. de usufr.
 l. 13. §. 11. ff. de act. Empt.) sed ad exemplum venditio-
 nis, nisi fuerint specialiter excepta, potest usufructua-
 riis Conductorem repellere.* Id est, si autem usufru-
 ctarius pati nolit colonum amplius uti frui, licet
 ipsi ad exemplum ejus, cui fundus venditus est, (quo
 respicit ad l. 25. §. 1. ff. loc. cond. & l. 53. §. 2. ff. de act.
 Empt.) Conductorem impunè expellere, nisi agri,
 ex quibus pensio debetur, sint excepti & conven-
 tum, ut usufructarius iis non aliter nisi sub pensio-
 nibus utatur; si enim tunc colonum expellit, impunè
 non faciet, sed colono interesse præstare tenebitur.
 Ex quo iterum apparet, non nuda constitutione
 unusfructus in fundo alteri locato contraictum finiri,
 sed expulsione Coloni. Idem etiam in venditione
 obtinet, & nullibi in jure proditum est, sola vendi-
 tione reilocatæ ipso jure finiri locationem, sed ita
 Gajus ait in l. 25. §. 1. ff. loc. cond. *Qui fundum fru-
 endum vel habitationem alicui locavit, si aliqua ex
 causa fundum vel eades vendat, curare debet, ut apud
 Emptorem quoque eadem pactione & colono frui &
 inqui-*

*inquilino habitare liceat, alioquin prohibitus aget
cum eo ex conductorio: Venditio igitur rei locatae non
finit contractum, sed prohibitio conductoris, & ab
hoc eventu dependet finitio contractus, ideoque,
quamdiu Emptor conductorum & praesertim colo-
num non prohibet, vel quod nolit eoque animo for-
san emit, non ut ipsemet fundum coleret, sed pen-
sionem reciperet, vel quod ob prohibitionem legis
uti in l. 3. *Cod. de loc. & cond.* eum expellere non pos-
sit aut debeat, tamdiu locatio finita non est, ideoque
Emptor pensionem à Conductorre per actionem lo-
cati à venditore sibi cessam exigere potest. Nec
movet, quod Emptor fundi non teneatur stare Colo-
no l. 9. *Cod. de loc. & cond.* Ibidem enim dicitur quod
Emptor non teneatur stare *colono, cui prior dominus
locavit*, adeoque expulso & ad interesse agenti, non
autem quod nuda emptione fundi finitus sit contra-
ctus, & conductor in possessione constitutus Em-
ptori cedere teneatur, uti id pluribus infra §. 5. ex-
ponimus. Solam igitur expulsionem Coloni, non
alienationem aut venditionem fundi locati, causam
esse finiendi contractum, non tantum ex supra cita-
tis textibus apparet, sed ulterius ex eo evidens est,
quod etiam citra ullam alienationem aut venditio-
nem rei locatae ipse locator ante finitum tempus
contractus colonum expellere & ita rumpere possit
contractum l. 15. §. 8. l. 24. §. 4. l. 33. l. 54. §. 1. l. 61. ff.
*loc. cond. l. 15. cod. cod.**

§. II.

§. II.

Magis autem communis ille error in ædium conductore seu Inquilino (uti hoc modo à Colono distinguitur. l. 37. ff. de acq. poss.) conspicuus est, quippe cuius expulsio intempestiva nominatim est prohibita. l. 3. cod. de loc. & cond. l. 3. §. 3. ff. uti possid. Et qui contractus cum Inquiliño initus solā alienatione aut venditione ædium finiri poterit, cum ei de facto etiam expulso remedium recuperandæ possessionis contra quemvis expulsorem, adeoque ipsum etiam singularem successorem, detur? uti hanc sententiam ex L. Aquilius 27. ff. de donat. pluribus infra §. 15. firmamus. Nec ad rem facit, quod Gajus in l. 25. §. 1 ff. loc. cond. Conductorem fundi & ædium conjungat, & utrique prohibito actionem contra Latorem concedat. Quamvis enim actio ad interesse non minus Inquiliño quam Colono expulso competit, & ambo in eo haec tenus convenient, prærogativam tamen in hoc Inquiliinus præ Colono habet, quod illi præter actionem ad interesse etiam remedium recuperandæ possessionis, indeoque duplex actio, detur: In Inquiliini itaque arbitrio & electione est, quâ experiri velit: Si igitur actionem ad interesse eligat, hac modo quidem locatio finitur, non quidem propter expulsionem, sed voluntatem Inquiliini, qui hoc ipso, quo actionem ad interesse eligit, in dissolutionem contractus consentit: Sin autem ulterius uti frui malit, ideoque pro recuperanda possessione agat, & hoc modo naturalem suam possessionem recuperet, contractus in suo vigore manet.

§. III.



§. III.

Quod autem conductorem fundi seu colonum ante finitum tempus expellere & hoc modo contractum finire liceat, regulis quidem juris naturalis non convenit, sed juri civili debetur: quippe quod Locatorem tantum pro possessore fundi locati agnoscit, Colonum autem nullo modo, ne quidem naturaliter possidere, sed tantum nomine locatoris in possessione esse, eamque nudè tenere credit & tradit *l.1. Cod. commun. de usucap. §. 5. instit. de interd. l. 10. l. 21. §. 3. l. 25. §. 1. l. 30. §. 5. & 6. cum leg. seq. l. 44. §. 2. ff. de acq. poss. l. 6. §. 2. ff. de precar.* Quod tamen maximè & propriè de colono tantum intelligi debet. Quamvis enim Jus Civile in *dd. textt.* indefinite de Conductore loquatur & nominatim etiam inquilinum quoad possessionem eodem censu cum colono habeat *d. §. 5. instit. de interd. l. 6. §. 2. ff. de precar.* Ad exemplum tamen usufructuarii, qui alioquin æque non possidere sed in possessione esse dicitur *d.l.6. §. 2. §. 5. instit. per quas cuique acq. l. 10. §. ult. ff. de acq. rer. dom. l. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. 5. §. 1. ff. ad exhib.* Inquilinus loco possessoris constitutus censetur, ideoque, uti usufructuarius, re ipsa & in effectu pro possessore habetur, eique interdictum unde vi conceditur, *l. 27. ff. de donat.* quod tamen Colono denegatur *l. 1. §. 10. ff. de vi & vi arm.* Similiter possessio ædium, quas Inquilinus inhabitat, nullibi vacua dicitur, secus quam possessio fundi, hæc enim respectu Coloni vacua disertè appellatur *l. 18. pr. ff. de vi & vi arm. l. ult. ff. de jure*

Jure sicc. Placitum igitur illud Juris Civilis, quod Conductor non possideat, re ipsa & in effectu non ad inquilinum sed tantum ad Colonum pertinet, & possessio fundi eo fine intuitu Coloni vacua habetur, ut à locatore, tanquam solo ejus possessore, quoconque tempore, non obstante nuda detinione coloni ejusque contractu, quippe qui personam locatoris magis quam rem locatam afficit, pro arbitrio ejus ejusque successoris cum effectu occupari possit. Ut ut enim locator Colono uti frui fundo ad certum tempus promiserit, quoniam tamen hæc promissio nudum factum in patientia locatoris consistens continet, locator ad ejus præcisam observantiam ex Juris Civilis placito non tenetur, sed, si Jure Dominii & possessionis fundum rupta conventionis fide atque ita de facto occupet, præstatione ejus quod interest ex regula generali in obligationibus faciendi Jure Romano recepta obligatione sua defungi potest *l. 13. ff. de re judic. §. ult. insit. de verb. oblig. l. 72. pr. l. 68 ff. eod. juncit. saepe cit. l. 15. §. 8. l. 24. §. 4. l. 33. ff. loc. cond. l. 15. Cod. eod.* Quo fine, ut Colonus à difficillima probatione ejus quod interest relevetur, utile & Romanis frequens fuit in casum expulsionis certam pœnam à locatore stipulari, cuius rei exempla sunt in *l. 54. §. 1. ff. loc. cond. l. 15. Cod. ead.* Quod consilium in omnibus faciendi obligationibus suppeditat Justinianus in *d. §. ult. insit. de verb. obl.*

§. IV.

§. IV.

Cum itaque Colonus ex supposito illo Juris Civilis nullo modo ac ne naturaliter quidem possideat, consequens est, ut ei possessione sua dejecto remedium recuperandæ possessionis, quippe quam non habuit, non detur l.i. §. 10. & l. ult. ff. de vi & vi arm. Sed tantum, si forsitan contra tenorem contractus intempestive dejiciatur, actio ad interesse vel ad pœnam in casum expulsione conventam adversus Locatorem cum quo contraxit ejusque heredem, sive ipse locator aut heres eum expellat, vel alienatione aut venditione fundi singulari successori causam expellendi præbeat, ei conceditur per *texti saepè cit. in l. 15. §. 4. l. 24. §. 4. l. 25. §. 1. l. 32. l. 33. l. 54. §. 1. ff. loc. cond. l. 15. Cod. eod. l. 120. §. 2. de leg. i.* Hanc actionem autem Colono Jure Civili competere ex tot perspicuis textibus modo relatis certissimum est. Unde mirari licet, suisse inter JCtos, qui commune illud dogma Doctorum: Singularis successor non teneatur stare conductori: Ethinc enatum illud vulgare: *Rauff geht vor Miethe:* adeo crudè intellexerint, ut gratis migrandum esse Conductor existimaverint, ex hac quidem ratione, quia Conductor jus, simulque eventum alienationis facile evenire potuisse, non ignoraverit, nemo autem videatur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt l. 145. ff. de reg. jur. Præterquam enim, quod sententia communis errorrem fovet, plus quam inepta illatio est. Conductor scivit se Emptori cedere teneri, ergo scivit gratis & ita cedere teneri, ut nec venditorem ad interesse,

C

con-

convenire possit, sanè manifesto juri repugnat hæc sententia, ideoque tot verbis, quibus eam refutat Daniel Müller *lib. 4. semestr. cap. 14.* digna non videtur.

§. V.

Quoniam autem actio ad interesse ex contractu locationis descendit, & in personam est, contra singularem locatoris successorem locum non habet *l. 25. pr. ff. de obl. & act. junct. l. 25. §. 1. l. 32. l. 33. ff. loc. cond. l. 120. §. 2. de leg. 1.* nisi speciali pacto se adstrinxerit, ut Colonus in eadem conditione maneat. *l. 59. §. 1. de usfr. l. ult. ff. de jure fisc. l. 53. §. 2. ff. de act. empt.* Hic genuinus est sensus famosi illius Rescripti Imperatoris Alexandri ad Fuscum in *l. 9. Cod. de loc. & cond.* quod communi illi errori, quasi venditione rei locatae contractus ipso jure finiatur, ideoque conductor Emptori similive successori singulari cedere teneatur, ansam præbuit. Ita enim verba istius Rescripti sonant & secundum analogiam Juris Romani intelligenda sunt: *Emptorem quidem fundi* qui possessionem ejus occupavit, atque ita ejusdem Dominus effectus est, *necessæ non est stare Colono*, cui prior Dominus locavit, ideoque expulso & ad interesse agenti, hoc enim onus sustinendæ actionis ad interesse ad locatorum ejusque hæredem pertinet, *nisi eâ lege*, ut Colonus in eadem conditione maneat, emit. Verum si probetur, aliquo pacto Emptorem consensisse, ut in eadem conditione maneat Colonus & Emptor nihilominus eum expulerit, *quamvis sine scripto, bona fidei judicio, ei quod placuit,* pare-



parere cogetur: Id est, tunc Emptor ipse b. fidei iudicio, scilicet actione venditi, conventus Colono interessē præstare cogetur. Ad hoc enim quilibet, qui factum aliquid se præstiturum promisit, si promissis non stet, Jure Civili tenetur. *l.68. l.72. pr. ff. de V.O. §. ult. inst. eod. l. 13. ff. de re judic.* Non enim dicit textus: Emptorem fundi non teneri stare contractui Coloni cum venditore inito, uti communis schola hæc verba accipit, sed *necesse non esse Emptorem stare Colono & quidem tali, cui prior Dominus locavit.* Unde secundum analogiam Juris Romani, quo possessio & per hanc Dominium à Venditore in Emptorem non aliter transit, & consequenter Locator & Venditor *prior Dominus* appellari nequit, quam si Emptor vacuam possessionem fundi jam dum occupaverit & Colonum expulerit, necessariò sequitur, verba illius Rescripti de nullo alio Emptore, quam de eo, qui jam dum possessionem adeptus & Dominus factus est, ideoque similiter non de Colono adhuc in possessione constituto, sed de ejecto, & propter ejectionem illam conquerente, & ad interessē agente, accipi posse ac debere. Est enim constans & certissimum Juris Romani (de Jure Naturæ aliud dicendum est) dogma, quod Dominium à Venditore in Emptorem non transeat priusquam hic actualem possessionem rei venditæ adeptus sit *l. 20. Cod. de pæct. §. 3. inst. de empt. & vend. l. 12. Cod. de prob. l. 13. Cod. de distr. pign. l. 8. Cod. de act. Empt.* Et quidem, ut possessio & consequenter Dominium fundi locati in Emptorem transeat, nominatim requiritur,

ut Emptor possessionem ejus accupaverit, vel patiente Colono eum in vacuam possessionem induci, cuius exemplum est in *l. ult. ff. de jure fisc.* ubi Flavius Staltilius à Valerio Patrono procuratore Imperatoris & Venditore in vacuam possessionem fundi locati & venditi inductus legitur: Vel, ut Emptor propria autoritate possessionem occupaverit, & Colonum prohibuerit & expulerit *l. 25. §. 1. ff. loc. cond.* Quamdiu igitur Emptor vacuam & actualem possessionem adeptus non est, tamdiu nihil juris ad eum transit, sed possessio & dominium penes venditorem remanet. *d. l. 8. Cod. de aet. empt.* quod & disertis verbis in Emptore, qui jussu vendoris vacuam possessionem fundi locati & venditi apprehendere volebat, à Colono autem admissus non erat, tradit Papinianus in *l. 18. pr. ff. de vi & vi arm.* dicens: *Neque enim ante omissam possessionem à venditore videri, quam si tradita fuisset Emptori, quia nemo eo animo esset, ut possessionem amitteret propter Emptorem, quam Emptor adeptus non fuisset:* Apprehensio igitur possessionis, quæ longa manu (oculis scilicet & affectu) fieri dicitur *l. i. §. 21. l. 18. §. 2. ff. de acq. poss.* hoc in casu, quo Colonus fundum corporaliter detinet, ideoque possessio naturaliter vacua non est, locum non habet *l. 79. ff. de solut. & liberat.* Ficta traditio, quæ & brevi manu fieri dicitur, non obtinet, ubi Emptor fundum locatum non tenet sed eum sibi cedi à Colono postulat. *§. 43. instit. de rer. divis. l. 9. §. 3. ff. de acq. rer. domin. l. 43. ff. de jur. dot.* Per Symbolicam autem traditionem pos-



possessio tantum rerum mobilium, quæ ob molem
& magnitudinem suam de manu in manum trans-
ferri nequeunt, non autem possessio fundi, de qua
in d.l. 9. agitur, transit l.i. §. 21. ff. de acq. poss. l. 74.
ff. de contr. empt. Et traditione documentorum
literariorum rei donatæ (non venditæ) dominium
quidem non autem possessio (de quâ hic maximè
quæstio est) transfertur l.l. Cod. de donat. De tali
igitur emptore, qui jam dum per actualem occupa-
tionem fundi possessionem & hoc ipso dominium,
eiusdem adeptus erat, dicitur, quod is Colono ex-
pulso stare non teneatur. Ad quid? ad præstandum
scilicet interesse. Hoc enim unicum est, quod Co-
lonus intempestivè expulsus pro injuria illata Jure
Romano exigere potest. Hanc actionem autem
Imperator Colono contra Emptorem denegat, di-
cens: non necesse esse Emptorem Colono ad inte-
resse agenti stare, nisi ipsem et Emptor partes lo-
catoris suscepit, & usum rei locatæ Colono pro-
miserit, tunc enim, si promissis non stet, à Colono
conveniri paterit ad interesse, idque etiam tradit
Paulus in l. 59. §. 1. ff. de usufr. in verb. nisi pensiones
fuerint specialiter exceptæ: & Labeo in l. 53. §. ult.
verb. Nominatim enim de habitatoribus insulæ recipi
oportet alioquin eos Emptor impunè probibebit, ff. de
act. empt. in fisco autem fundum locatū vendente hoc
paetum subintelligitur, et si enim in venditione rei lo-
catæ à fisco facta nominatim conventum non sit, ut
Emptor contractui Coloni staret, nihilominus fa-
vore fisci hoc actum censemur, ne scilicet Colono
ab

ab Emptore expulso Fiscus, sed ipse Emptor & singularis successor ad præstandum interesse teneatur *l. ult. ff. de jur. fisc.* eoque pertinet consilium Gaji in *l. 25. §. 1. ff. loc. cond.* quod ibidem locatori qui fundum alteri locatum vel ædes vendere vult, suggerit, ut ab Emptore sibi caveri curet, ut Conductori eadem partione apud Emptorem frui licet: aliquin si Conductor ab Emptore expellatur, vendor actionem ex conducto ad interesse sustinere tenetur, cui incommodo hoc pacto occurrere potest. Nullatenus igitur ex Alexandri Rescripto inferre licet, quasi nudus Emptor aut alius singularis, successor, qui possessionem rei locatae nondum adeptus est, nullo modo teneatur stare contractui conductionis, ideoque Conductor illi cedere teneatur. Siquidem in *d.l. 9.* non dicitur, quod Emptor non teneatur stare contractui Coloni multò minus quod Colonus Emptori cedere teneatur. Verum quidem alias est, Emptorem contractui Coloni, ita ut ex eo à Colono conveniri possit ad interesse, stare non teneri, aliud tamen est si Emptor, qui causam & jus suum à locatore habet, contra Colonum in possessione constitutum agat, eumque ad cedendum urgeat, tunc enim ille huic in possessione constituto & ex contractu excipienti stare omnino cogitur, *l. 6. ff. de except.* quod pluribus firmamus in sequentibus. Similiter limitatio illa: *Nisi ea lege emerit.* In communem interpretationem illius Rescripti non quadrat, sed eam pariter refellit. Siquidem hoc modo sequereretur, quod si Emptor ea lege, ut Co-

Colonus in eādem conditione maneat, emerit, prae-
cisē teneretur stare contractui, ideoque Colonum
expellere non possit, quod falsum est. Non obstante
enim tali pacto nihilominus Emptor Colonum ex-
pellere poterit, nec ille huic possessionem restituere
tenetur, hoc tantum interest, quod tunc ipsemēt
Emptor penam conventam aut interesse præstet
supra cit. text. in l. 53. §. ult. ff. de act. empt. l. 59. §. 1.
ff. de usūfr. Utī bene notat Hahn. ad Wefenbec.
ad tit. ff. loc. cond. n. 13. Melius autem ista limitatio
in regulam illam, quā singularis successor non te-
nerur stare actioni ex contractu sui autoris, quadrat;
nisi contractui sē statutum speciali pacto pro misere-
rit, tunc enim singularis successor si non stet, ad
interesse conveniri potest. Denique etiam reliqua
verba Rescripti satis manifestō arguunt, ibidem non
agi de Emptore extra possessionem constituto,
ideoque contra Colonum ad cessionem agente,
sed de Emptore qui fundum occupaverat, ideoque
a Colono conventus & Reus erat: De hoc enim
ibidem quæritur. An stare & respondere teneatur
Colono? Verbum enim: cogatur: ostendit Em-
ptorem ibidem in possessione fundi & Reum fuisse:
Reus enim à judice cogitur, non autem Actor, sed
si hic exceptionem à Reo objectam elidere non
valet, condemnatione Reus eximitur, & in posses-
sione sua manet l. 2. pr. & l. 22. ff. de except. Unde
manifestō appetat, communem interpretationem
hujus Rescripti oppidō quām erroneam esse, eoque
non magis quam reliquis textibus in §. 1. supra
re-

relatis & explicatis commune illud dogma probari.

§. VI.

Si igitur Emptor similisve singularis successor jure à locatore in se translato abuti, & fide conventionis ruptâ Colonum expellere velit, & Colonus ejus conatus resistere vel non audeat, vel ob defectum virium non possit, licet ipsi fundum propria auctoritate occupare & Colonum expellere. Non quidem quod hoc naturaliter justum sit, siquidem Conductor non tantum naturaliter & verè possidet, sed etiam naturale hoc præceptum: *pacta sunt servanda*: non tantum ad locatorem ejusque hæredem, sed etiam ejus singularem successorem suo modo pertinet, & hic factum locatoris suo modo & in tantum, ut ratione fundi locati eandem exceptionem, quæ ratione istius fundi locatori objici poterat, sustineat, præstare tenetur l. 6. ff. de except. l. 4. §. 27. ff. de dol. mal. & met. except. l. 143. l. 149. ff. de R. I. Nec enim locator alienatione aut venditione fundi deteriore conditionem Coloni facere & exceptionem ex contraetu competentem ei admere, & hoc modo plus juris in Emptorem transferre potest quam ipse habet. Sed expulsio haec privata & intempestiva, si de facto contingat, in locatore quidem non aliter, quam præstatione ejus quod interest, punitur, in singulari autem ejus successore, nisi observationem contractus nominatum promiserit, prorsus impunita est l. 53. §. 2. ff. de act. empt. ibi impunè prohibebit l. 59. §. 1. ff. de usufr. l. 25. §. 1.



§.1. ff. loc. cond. l.9. Cod. eod. l. ult. ff. do jur. fisc. & hoc
sensu Emptor similisve successor singularis Colon-
num expellere potest, eodem modo, quo concubi-
nam habere, aut contrahentibus se invicem in pretio
circumvenire, aut quod nudo pacto promissum est
non servare Jure Civili permisum est l. 3. ff. de con-
cub. l. 16. §.4. ff. de minor. l. 22. §.3. ff. loc. cond. l. 45. ff.
de pact. l. 27. Cod. de loc. &c cond. add. Grot. de Jure
B. & P. lib. I. c. I. §.17. Non autem quod expulsio illa
naturaliter justa & ideo licita sit: Multa quippe sunt
quæ naturaliter illicita sunt, Jure Civili tamen non
vindicantur aut puniuntur arg. cit. textt. Et hoc
pertinet illud Pauli: Non omne quod licet hone-
stum est l. 144. ff. de reg. jur. & Ciceronis pro Balbo:
Est aliquid quod non oporteat, et si licet.

§. VII.

Adeo autem hæc expulsio permissa est, ut resi-
stantem etiam per vim expellere liceat: Quamvis
enim propria autoritate jus sibi dicere & alterum è
possessione sua per vim dejicere sub gravi pœna Jure
Civilis prohibitum est l. 176. ff. de R. I. l. 13. ff. quod met.
caus. l. si quis in tantam 7. Cod. unde vi l. pen. & ult. ff.
ad L. Jul. de vi publ. Quoniam tamen hoc ipso, quo
Colonus locatori ejusque successori ingressum in
fundum & perceptionem fructuum naturalium (in
his enim possessionis naturalis coimmnodum con-
stitit, l. II. ff. de vi & vi armat.) denegat, vim ei facit,
& hoc pacto sibi possessionem aliquam arrogando
locatorem possessione suâ dejecisse videtur d. l. n. &
l. 12. & l. 18. pr. ff. de vi & vi armat. leges illæ panales,

D

ut

utpote quæ tantum possessori, qualis Colonus non
 est, vim fieri prohibent, locum non habent, quin
 potius hæc violentia locatoris ejusque successoris
 ex supposito Juris Civilis, quo solus locator non
 autem Colonus possidet, & consequenter Colonus
 locatori vel ejus successori ingressum in fundum pro-
 hibendo vim facit, lege permittente fit. Vim enim
 vi repellere, & eura, qui alterum dejicit, in conti-
 nenti vicissim dejicere, & hoc modo possessionem
 suam privata authoritate defendere Jure Civili per-
 missum est l.3 ff. de just. & jure l.45. §.4 ff. ad l. Aquil.
 l.1. §.27. & 28. l.3. §.9 ff. de vi & vi armat. l.1. Cod. unde
 vi. Judicialis autem expulsio, hoc casu, quo tempus
 locationis nondum est finitum, locum non habet.
 Interdictum enim unde vi quo alioquin locatori,
 vel ex ejusdem cessione Empatori similive successori
 singulari contra Colonum restitutionem fundi de-
 tractantem & resistentem competit, eo casu, quo
 Colonus justam causam non restituendi habet, cessat
 d. l. 12. in fin. ff. de vi & vi arm. Frustra igitur eo
 casu, quo Colonus cedere non vult, Emptor ad ju-
 dicium remittitur, præsertim, ubi aliquod inter-
 vallum post denegationem restitutionis intercedit,
 & hoc modo Colonus naturalem possessionem ad-
 eptus est d.l.12. & 18. pr. ff. eod. de quo infra§ II. & 12.
 fuisus agitur. Unde apparet, communem senten-
 tiam, quasi adversus resistentem opus sit judicio,
 cum supposito suo.: Emptor non tenetur stare.
 Conductori: Juri Civili non convenire, sed erro-
 neam, & consequenter quæstiones illas Doctorum,

an



an propria authoritate Colonum expellere, & quando id liceat, & quibus clausulis & cautelis hoc casu opus sit ? de quibus inter alios Excellentissimus Dn. Stryk. *de cautel. contract. sect. 2. c. 8. §. 9. & seqq.* agit, secundum hypothesin Juris Civilis inanes esse. Accedit, quod pactum illud : ut creditori propria authoritate fundum oppignoratum occupare liceat, non valeat, nec à poena violentiae in totum excusat *l. 3. Cod. de pign. & hypoth.* Si igitur expulsio privata & violenta, jure non liceret, sanè ex pacto Emptoris cum Venditore inito licita fieri non poterit *d. l. 3.* Pactis enim privatorum jus publicum ejusmodi privatam violentiam prohibens mutari & quod turpe & illicitum est licitum effici nequit *l. 27. §. 4. l. 38. ff. de pact. l. ult. ff. de suis & leg. hered.*


§. VIII.

Hoc igitur modo, quo expulso Colono nulla actio pro recuperanda possessione datur, ideoque is ab usu fundi prohibitus manet, locationem finiri necesse est. Qui modus finiendi peculiaris est, & Juri Civili tantum debetur. Alioquin enim nihil tam naturale est, quam unumquodque eadem modo quo colligatum est, resolvi *l. 35. ff. de R. I.* & consequenter contractus locationis mutuo consensu initus mutua, non autem unius contrahentium voluntate, dissolvi potest ac debet *§. ult. insti. quib. mod. toll. obl. l. 3. Cod. de rescind. vend. l. 5. Cod. de obl. & act.* Et quia præterea actio illa ex contractu ad interesse ad singularem successorem non pertinet, consequens est, ut hic, nisi speciali pacto observatio-

D 2

nem

non



nem contractus promiserit, factum illud expulsio-
nis impunè ferat l.53. §.2. ff. de act. empt. l.59. §.1. ff. de
usufr. l.ult. ff. de jur. fisc. l.9. Cod. de loc. & cond. atque
hæc genuina Juris Romani sententia est.

§. IX.

Colonum autem, nedum inquilinum, ejusmodi
intempestivam expulsionem à locatoris successore
singulari pati eique cedere teneri, nullibi in Jure
Romano vel scriptum aut pictum est, neq; etiam ulla
huj^o dogmatis solida ratio Naturalis aut Civilis reddi
potest, quin potius hæc traditio perspicuis juris
textibus, rationi naturali & in hac fundatis ipsius
Juris Romani regulis in universum reclamat. Quod
enim rationes communis sententiæ, quibus errone-
am suam interpretationem legis 9. Cod. de loc. &
cond. fulcire satagunt, attinet, Verum quidem primò
est, quod Colonus cum singulari successore non
contraxerit, unde etiam eidem actio illa personalis
ex contractu contra eundem non datur, exinde
tamen non sequitur, quod cedere teneatur, quin
potius ex eo, quod alter cum altero non contraxit,
ideoque Colonus ad cedendum se non obligavit, hic
cedere non tenetur. Et quamvis Empor similisve
successor rei vindicationem aut interdictum unde
vi propter denegationem restitutio*n*is fundi locati
ex cessione venditoris in se translatum instituat,
quoniam tamen Colonus ex contractu fundum lo-
catum justè detinet, utraque actio propter exce-
ptionem contractus & doli inefficax est, uti pluribus
infra persequimur. Secundò. Ex eo, quod Colonus
non



non possidet ideoque nullum jus in re habet, nullatenus inferrelicet, quod singulari successori cedere teneatur, alioquin sequeretur, quod etiam locatori ejusque hæredi cedere cogatur, quod falsum est, & ipsi Doctores contrarium rectè docent *in l. non ab re 10. Cod. unde vi.* Sequeretur etiam, quod Colonus cedere teneretur etiam si impensas fecerit in fundum, quod iterum Doctores in *l. 12. ff. de vi & vi arm.* non admittunt. Quin potius Colonus ideo, quod justam retinendi causam habet, si contractus nondum est finitus, etiam Domino ejusque in dominio successori cedere non tenetur *d. l. 12.* Nec majoris ponderis est *Tertiò* argumentum ex eo desumptum, quod singulari successori Colonum propria autoritate adeoque etiam per vim expellere liceat, siquidem & hoc ipsi locatori licet, cui tamen Colonus ante finitum tempus contractus cedere non tenetur *arg. l. 17. §. 3. ff. commod. gloss. & Dd. in l. 10. Cod. unde vi.* Licet igitur locatori ejusque successori Colonum expellere, non quia hoc interna iustitia & naturaliter justum est, sed quia expulsio illa, cum primis à singulari successorē suscepta, ex ratione Juris Civilis, quod Colono expulso actionem contra singularem successorem denegat, tantum non punitur. Et utcunque Jus Civile iustæ detentionis rationem non habeat, atque secundum indolem suam ab Ulpiano in *lege 6. ff. de iust. & jure descriptam* in tantum à Jure Naturæ & Gentium recedat, ut Colono actionem pro recuperanda possessione deneget, non tamen in totum, & adeo ab.

ab eo recedit, ut etiam eidem in possessione constituto ex justa causa exceptionem retentionis admittat, præsertim cum haec facilius quam actio, & cuilibet, qui tantum naturalem æquitatem pro se habet, detur l. i. pr. ff. de pign. & hypoth. l. 12. ff. de dol. mal. & met. except. Nulla igitur est consequentia, Colonus expulsus à singulari successore ratione contractus sui agere contra eum non potest, ergo in possessione constitutus ei cedere tenetur, vel Colonus privata autoritate expelli potest, ergo etiam non attentâ ejus justa retinendi causâ judicialiter expelli potest & cedere cogitur. Imò contrarium decidit Ulpianus in l. 8. §. 1. ff. de bon. auth. jud. possid. ubi ita scribit: *Si quis fructus ex prædio debitoris capi poterit, bunc creditor, qui in possessionem prædii missus est, vendere vel locare debet. Sed hoc ita demum, si ante neque venierit neque locatum erit, nam si jam à debitore vel locaverat vel venierat, servabit prætor venditionem & locationem à debitore factam, eisi minoris distractum vel locatum: nisi in fraudem creditorum hoc fiat, tunc enim prætor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem vel venditionem faciant.* Ecce! Hic creditor immisus est singularis successor, & nihilominus tenetur stare locationi à debitore antea bona fide factæ, etiamsi minoris prædium sit locatum. Plane interpres Juris nostri, ut erroneæ suæ traditioni patrocinentur, hīc exceptionem à prætensa sua regula comminiscuntur. Sed frustra, & lubricæ eorum rationes errorem communem magis produnt.



dunt. Quod enim (uti glossa & alii putant, quas sequitur Gothofredus in notis ad *d.l. lit. L.*) creditor immisus ideo Colonum expellere nequeat, quod Dominus non sit, ideoque minus juris habeat quam emptor, ineptum est. Siquidem ad hoc, ut singularis successor Colonum expellere possit, necessariò dominium non requiritur, sed sufficit, si tantum jus aliquod in re, Jure Coloni, tanquam nudi detentoris ex contractu potentius, habeat *l. 59. s. i. ff. de usfr.* Ubi expulsio illa usfructuario conceditur, qui tamen non magis Dominus est nec jus in re potentius habet, quam talis creditor, qui cum facultate fructus prædii vendendi vel locandi immisus est. Plurimi autem ideo creditorem immisum Colonum expellere non posse existimant, quia alienatio illa, quæ fit per immisionem, non voluntaria sed necessaria sit. Sed nec hæc ratio melioris farinæ est; Siquidem immisio creditoris omnino voluntate debitoris saltem indirecta (utpote qui scit, non præfito, quod debet, ad immisionem deventum iri) est conjuncta, ideoque juris effectu pro voluntaria habetur, unde etiam est, quod debitor evictio nem pignoris judicis autoritate venditi præstare teneatur *l. 13. Cod. de evict.* Secus quam si contra ejus voluntatem alienatio esset facta, uti si quis ex contumacia possessoris litis aestimationem accipere, atqua ita invitus rem suum vendere coactus fuit *l. 10. ff. rer. amot.* Imo, quo minus alienatio est voluntaria, eo minus singularis successor contractui sui auctoris stare tenetur, uti exemplo ejus, cuius fun-

fundus, quem locaverat, publicatur, docet Africanus in l.33. ff. loc. cond. ideoque hæc ratio sententiam communem magis destruit. Sicut igitur nullibi talis regula, quod Colonus singulari successori cedere teneatur, in jure reperitur; ita etiam ejusdem exceptio in d.l.8. §.1. ff. de reb. autb. jud. possid. non traditur, sed communiter prætensa hæc exceptio vera regula est naturali & solida ratione fundata, quam affert Papinianus in l.1. §.3. ff. de pign. & hypoth. Ubi in casu, quo creditor rem, de cuius dominio debitor ante oppignorationem cum possessore egerat & per injuriam judicis victus erat, à possessore petebat, dicit: *Non plus habere creditor potest, quam habet qui pignus dedit, ergo submovebitur* (eadem exceptione qua debitor si ageret submoveretur, scilicet) *rei judicatae exceptione*: Et rectè: Qui enim in Jus Dominiumve alterius succedit, non melioris conditionis esse debet quam auctor ejus, à quo jus in ipsum transit, sed eodem jure uti debet, docente Paulo in l.175. §.1. & l.177. in pr. ff. de R. I.

§. X.

Ulterius autem hæc sententia, quod Colonus expulsionem intempestivam pati & singulari successori cedere non teneatur, sed ei resistere possit, confirmat Marcellus in l.12. ff. de vi & vi arm. Ubi eo casu, quo Emptor fundi locati à Venditore ad apprehendendam possessionem missus à Colono autem admissus non erat, respondet, interdictum *unde vi contra Colonum* eo casu, quo ab justam & probabilem causam Emptori resistit, cessare, eumque consequenter



quenter in possessione & usu fundi locati manere.
Justam autem causam resistendi & restitutionem rei
locatae denegandi esse , si ante tempus locationis
finitum res locata repetatur , non tantum sensus
communis dictitat , sed etiam Paulus in l. 17. §. 3. ff.
commod. docet , quod sola obligatio personalis ex
contractu commodati descendens intempestivam
repetitionem rei commodatae (eadem est ratio rei
locatae) impedit , his verbis : *Cum autem id fecit*
(id est postquam commodavit) tunc finem præscribere
& retro agere, atque intempestivè usum commodatae
rei auferre, non officium tantum impedit, sed &
suscepta obligatio inter dantem accipientemque. Et
hoc etiam Interpretes juris ultrò agnoscant, ideoque
in l. 10. Cod. unde vi. Ubi Imp. Zeno conductoribus,
quibus nulla cognita legibus allegatio competit ,
facultatem resistendi adimit , inter causas resistendi
legibus cognitas nominatim referunt , si tempus lo-
cationis nondum est finitum. Ita enim Glossa in
d. l. verb. *Allegatio*: dicit: *Sed quæ allegatio potest*
competere Conductor ut resistat? Dicunt quidam
quod probet Conductor rem esse suam, quod non placet.
Dic ergo, quod tempus conductionis, non est finitum &
merces integra soluta, vel fecit impensas necessa-
rias aut utiles, idemque tradunt & docent Salycket.
Brunneman. & Dd. commun. in d. l. Menoch. remed.
recuperand. poss. II. n. 7. & 22. Perez in Cod. d. tit. n. ult.

§. XI.

In eo autem Interpretes fallunt & falluntur, dum
allegationem illam nondum finiti contractus con-

E du&tori

ductori tantum contra ipsum locatorem ejusque
 hæredem, non autem contra singularem ejus suc-
 cessorem, competere existimant, ideo, quia aliena-
 tione aut venditione rei locatæ contractus ipso jure
 finitus sit & singularis successor ei stare non teneat-
 tur, ideoque perspicuum hunc textum in d. l. 12. qui
 indefinitè ex quacunque justa causa Colono faculta-
 tem resistendi contra ipsum singularem successorem
 concedit, respectu hujus ad causam expensarum
 restringunt. Siquidem tale dogma quod Emptor
 contractui conductoris nullatenus ac ne quidem ad
 sustinendam exceptionem ex eo stare teneatur,
 nullibi in jure habetur, ut suprà evictum est, Et re-
 strictio illa in expressum juris textum & universi
 juris regulas impingit: Est enim certissimum &
 ab interpretibus approbatum juris dogma: quod
 exceptio, quæ ex obligatione ad hæredes transitoria
 descendit, ideoque rei non personæ contrahentis
 cohæret, etiam singulari successori obstet l. 4. §. 27.
 de dol. mal. & met. except. l. 143. ff. de R. I. Bartol. ne
 si quis rem ff. de proc. Bertrand. vol. 6. consil. 168. Pa-
 ris. vol. 3. consil. 199. Zanger. de except. p. 3. c. 26. n. 213.
 Lentz. de nom. & act. cess. c. 32. & Dd. ab his allegati.
 Nemo enim plus juris in alium transferre potest,
 quam ipse habet l. 54. ff. de R. I. Nec quisquam alte-
 riuss contrahentis conditionem sine ejus facto dete-
 riorem facere eique actionem vel exceptionem adi-
 mere, atque ei nocere potest l. 11. ff. eod. l. 2. ff. quod vi
 aut clam. l. 25. §. 2. ff. ad Sct. Trebell. rubr. & t. t. Cod.
 inter al. act. vel jud. al. non noc. Ita enim exceptio
 pacti,



paeti, de re communi intra certum tempus non dividenda, obstat ei, qui partem rei communis & indivisa emit & ante finitum tempus dividere vult *l.14. §.3 ff. comm. div. l.16. §.2 ff. pro soc.* Exceptio doli, quæ ex pacto de non petendo cum defuncto inito descendit, etiam legatario obstat *l.6. ff. de except.* Exceptio rei venditæ & traditæ obstat singuliari successori, qui rem, cuius dominium post venditionem vendori demum quæsitum est, atque ita in petitorem transfit, à primo Emptore petit *l.3. §. ulti. ff. de except. rei vend. & trad.* Exceptio rei iudicatae obstat creditori, qui postquam debitor in vindicatione rei per injuriam judicis succubuit, pignori rem accepit & hypothecaria actione contra possessorem agit *l.3. §.1. ff. de pign. & hypoth.* & quæ alia exempla in jure occurrunt. In specie autem ita scribit Pomponius in *l.67. ff. de contr. empt.* *Alienatio cum fit cum sua causa dominium transferimus, quæ esset futura si apud nos eadem res mansisset, idque toto Jure Civiliter habet, præterquam si aliquid non nominatum sit constitutum.* Atqui toto Jure Civili aliter constitutum non est, quam ut singularis successor uti ex persona sui auctoris lucrum capit, & in ejus jus succedit, ita etiam exceptionem ex ejusdem contractu sustinere, & hoc modo ejus factum præstare, nec melioris conditionis esse debeat quam ille *text. supra citt. junct. l. 149. ff. de R.I. l. 175. & l. 177. ff. cod.* Nec interest, an excipiens in vera possessione rei, an tantum ejus nudus detendor sit *l.17. §. 3. ff. commod. junct. l. un. Cod. etiam ob Chirogr. pecun. pign. ret.*

ret. poss. l. i. pr. ff. de pign. & hypoib. l. i. Cod. salien. res
 pign. dat. lit Bachov. de pign. & hypoib. lib. 3. c. 6. n. 1.
 Cum igitur exceptio doli, quæ omnibus iis objicitur,
 qui contra pactum suum quid petunt l. 2. §. 4. ff. de dol.
 mal. & met. except. Locatori ante finitum tempus
 fundum locatum repetenti obstet, uti communis
 schola in l. 10. Cod. unde vi concedit, eadem etiam
 Emptori similive successori singulari meritò obstat.
 Exceptio enim doli etiam ex nudo chirographario
 contractu descendens rei cohærens & in rem est
 l. 2. §. 2. ff. de dol. mal. & met. except. ideoque etiam
 emptori similive in dominio successori singulari
 obstat l. 4. §. 27. ff. de dol. mal. & met. except. gloss.
 Salycet. Brunnemann. & Dd. in l. un. Cod. etiam ob
 chirograph. pecun. pign. ret. poss. Neguzant. de pign. &
 hypoth. p. 5. membr. 3. n. 46. & 47. Trentacing. var.
 resol. lib. 3. rubr. de pign. & hypoth. resol. 10. num ult.
 Quod Dd. etiam hoc ipso agnoscunt, dum Colono
 ratione expensarum retentionem fundi contra sin
 gularem successorem concedunt gloss. & Dd. in
 sæpè cit. l. 12. ff. de vi & vi arm. Atqui si non justior,
 certa saltem non minus justa causa retinendi est, si
 fundus ante finitum locationis tempus repetatur
 uti iterum concedunt, ac concedere tenentur. Ergo
 singulari successori etiam ex hac causa exceptio re
 tentionis omnino obstat: Alioquin hic plus juris
 habiturus esset, quam Locator ejusque hæres, quod
 absurdum esse pronuntiat Ulpianus in l. 160. §. 2. ff. de
 R. I. Imò, quamvis alioquin nudus chirographa
 riis Creditor, qualis Conductor est, ut ut antiquior,
 cre-

creditori hypothecario chirographarium debitum
 etiam non offerenti cedere teneatur *d. l. un. in fin.*
Cod. etiam ob chirograph. pec. pign. ret. poss. Con-
 ductor tamen creditori hypothecario pignus vin-
 dicanti cedere non tenetur, quin potius creditor ad
 observationem contractus bona fide & citra frau-
 dem ejus initi obstrictus est *l. 8. §. 1. ff. de reb. auth.*
jud. poss. Tantum igitur abest textum illum per-
 spicuum in *l. 12. ff. de vi & vi arm.* communem illam
 restrictionem in singulari successore admittere, ut
 potius communem errorem in aprico ponat. Alia
 autem est ratio in eo, qui nullam causam à locatore
 habet, sed suo jure in fundum locatum succedit, uti
 uxor, cuius maritus constante matrimonio fundum
 dotalem locavit. Hæc enim matrimonio ante fi-
 nitum tempus locationis soluto locationi à marito
 factæ stare non tenetur *l. 25. §. ult. ff. solut. matrim.*
junct. l. 3. C. ne ux. pro marit. Resoluto enim jur e-
 dantis resolvitur jus accipientis *l. 31. ibique Dd. ff. de*
pign. & hypoth. Hinc etiam, si usufructuarius loca-
 verit & ante finitum tempus locationis deceperit,
 locatio finitur, nec Conductor ejus hæredem ad in-
 teresse convenire potest, nisi non ut Usufructuarius
 sed ut dominus locaverit atque ita conductorem
 deceperit *l. 9. §. 1. ff. loc. cond.*

§. XII.

Præterea Colono ex intervallo, postquam re-
 stitutionem fundi denegavit, dejecto, interdictum
unde vi contrà quemlibet expulsorem, sive extrane-
 um sive ipsum locatorem ejusque successorem uni-
 ver-

versalem vel singularē competere, exp̄resse respon-
dent Marcellus d.l. 12. ff. de vi & vi arm. & Papinianus
in l. 18. pr. eod. quorum verba ad majorem veritatis
dilucidationem hic afferre lubet. Ita enim Mar-
cellus ait: *Colonus eum, cui locator fundum vendi-
derat, cum is in possessionem missus esset, non admisit,
deinde Colonus vi ab alio dejectus est, quærebatur,
quis haberet interdictum unde vi? Dixi nihil interesse,
Colonus Dominum ingredi volentem prohibuisset, igi-
tur interdictum unde vi Colono competiturum, ipsum
que simili interdicto locatori obstrictum fore, quem
dejecisse tunc videretur, cum emptori possessionem
non tradidit, nisi forte propter justam & probabilem
causam id fecisset. Et tenor responsi Papiniani talis
est. Cum fundum, qui locaverat, vendisset, jussit
emptorem in vacuam possessionem ire, quem Colonus
intrare prohibuit, postea Emptor vi Colonum ex-
pulit, inter dictis unde vi quaestum est? Placebat,
Colonum interdicto venditori teneri, quia nihil in-
teresset, ipsum an alium ex voluntate ejus missum in-
trare prohibuerit, neque enim ante omissam posses-
sionem videri, quam si tradita fuisset emptori, quia nemo
eo animo esset, ut possessionem amitteret propter em-
ptorem, quam emptor adeptus non fuisset: Emptorem
quoque qui postea vim adhibuit, & ipsum interdicto
Colono teneri, non enim ab ipso, sed a venditore per
vim fundum esse possessum, cui possesso esset ablata.
Quæustum est, an Emptori succurri debeat, si volunta-
te venditoris Colonum postea vi expulisset? Dixi, non
esse juvandum, qui mandatum illicitum suscepit.*

Am-



Ambo hi textus sunt perspicui, sed, cum Responsa horum J^Ctorum, quod Colono interdictum *unde vi* detur, cum dogmate illo, quod Colonus non possideat, eique interdictum *unde vi* non detur, convenire non videantur, Interpretes Juris textus istos ad casum, quo Colonus dominium fundi sibi arrogavit, atque ita animo omnem possessionem domino intervertendi restitutionem denegavit & prædo factus est, restringunt, atque hoc modo interdictum *unde vi* Colono usus tantum conservandi gratia resistenti denegant gloss. Bartol. & Dd. comm. ibid. Menoch. recup. poss. remed. n. 66. Sed contra manifestum verborum tenorem, & Juris Civilis rationem, siquidem in utroque textu species facti indefinite sine ulla mentione, quo animo Colonus Emptorem non admiserit, proponitur. Decisio igitur etiam indefinite, ideoque non tantum de Colono, qui denegando restitutionem rei locatae dominium sibi arrogavit, sed etiam de eo, qui tantum usus sui conservandi causa Emptorem non admisit, & hoc modo Locatorem de solâ possessione naturali dejecit, intelligi debet. Præfertim, cum Marcellus in d. l. 12. illam inspectionem, quo animo dejectio facta sit, in fine quidem afferat, sed eam non ad illam quæstionem, an interdictum *unde vi* hoc casu Colono contra Emptorem? Sed ad alteram, an Venditori contra Colonum competit? expresse accommodet: Unde manifestò apparet, Colonum exintervallo, postquam restitutionem rei locatae domino negavit, ideoque hoc modo qualemcumque pos-

possessionem, sive Civilem sive Naturalem (neutram enim Jure Civili habet) sibi arrogavit, dejectum, contra emptorem spoliantem & venditorem spoliū mandantem interdicto *unde vi* agere possè, & quidni? Quamvis enim inspecto Jure Naturali, quo Colonus fundum ratione usus verè possidet, intempestivam restitutionem rei locatæ detrectans nihil plus sibi arrogat, quam antea habuit, respectu tamē Juris Civilis, quo nullum penitus animum possidendi habere creditur, ideoque pro nudo detentore habetur, resistentia ejus, quā commodum possessionis locatori ejusve successori ratione usus Naturalis denegat, omnino animum possidendi & consequenter interversionem possessionis Naturalis arguit, ex eo igitur tempore, quo restitutionem possessionis naturalis locatori detrectat, animum possidendi induxit videtur, ideoque respectu naturalis possessionis æquè ut prædo pro possessore meritò habetur, & consequenter eidem, sive ab extraneo, de quo casu Marcellus, sive ab Emptore de quo Papinianus agit, dejecto interdictum *unde vi* competit h. *textt. junct. l.i. §.9. & §.45. ff. eod.* Quoniam autem eo casu, quo Colonus dominium sibi non arrogat, sed propter justam causam (qualis est, si ante tempus contractus finitum fundus reposcat) restitutionem denegat, Locator è possessione non Civili & omnimoda, sed tantum Naturali dejectus videtur & hæc dejectio domino non præjudicat, sed contractui conveniens est, utraque etiam possessio penes duos simul consistere potest. *l.15. §.4. ff. de*

ff. de prec. interdictum unde vi, quod vicissim locatori hoc modo per vim dejecto alioquin competit, propter exceptionem doli, quia usum rei locator contractu promisit, merito cessat. d. l. 12. Quod & idem Marcellus in re commodata, cuius eadem ratio est quae locatae, tradit in l. 20. ff. de acq. poss. his verbis: *Si quis rem, quam utendam dederat, venderit, Emptoriique tradi juss'erit, nec ille tradiderit, aliâs videbitur possessionem Domino intervertisse, aliâs contrâ: Nam nec tunc quidem semper Dominus amittit possessionem, cum reposcenti ei commodatum non redditur, quid enim si alia quepiam fuit iusta & rationabilis causa (qualis est si temp^o contractus nondum est finitum) non reddendi, non utique ut possessionem ejus (dominium sibi arrogando) interverte-ret?* Ex his itaque textibus dogma illud: quod Colonus non possideat eique expulsio interdictum unde vi non detur; limitationem accipit, nempè si detretet restitutionem & deinde, adeoque ex intervallo post denegatam restitutionem expulsio contra ipsum intentatur. Hic enim, quia Colonus ex eo tempore naturaliter possidere incipit, locum habet communis Doctorum calculo approbatum dogma: Spoliatus ante omnia etiam contra ipsum dominum restituendus est, et si ipsemet antea spoliatorem dejecerit & manifestus prædo sit d. l. 12. & l. 18. ff. de vi & vi arm. l. 7. Cod. ad L. Jul. de vi publ. l. 7. Cod. unde vi. §. 6. instit. de interdict. l. 4. §. 26. ff. de usucap. & usurp. l. 14. Cod. de agric. & censit. c. 1. c. 5. X. de rest. spol. c. ult. X. de ord. cognit. c. 3. X. de divort. Boer. decis. 238.

num.2. Fachin. contrv. jur. lib. 8. c. 10. Berous in c. 13.
X. de rest. spol. Menoch. recip. poss. remed. I. n. 21. & n.
239. ibique plures allegati Dd. Multò minus igitur
talis Colonus, quippe qui ex voluntate Domini,
adeoque juste possidet, & consequenter nihil minus
quam prædo est, Emptori similive successori singu-
lari cedere tenetur arg. l. 156. §. I. ff. de reg. jur. C. qui
ad agendum 71. eod. in 6.

§. XIII.

Et quidem hac adeo verum est, ut Colonus etiam-
si à locatore vel ejus successore præstatio ejus, quod
ipsius interesse probare poterit, ei offeratur, cedere
non teneatur. Cum enim id quod interest sua na-
tura incertum, adeoque difficillimæ probationis sit
§. ult. instit. de verb. obl. l. 60. ff. eed. l. ult. ff. de in jus voc.
l. 24. ff. de R. I. Ideoque ob difficultatem & defectum
probationis plerumque ad exiguum summam de-
ducatur, teste Venulejo in l. ult. de stipul. præt. ini-
qua profecto foret conditio, si ad hanc oblationem
cedere & loco usus, qui ipsi ex contraetu liquidò
debetur, difficillimæ & lubricæ probationi ejus
quod interest se implicare teneretur. Quod etiam
Doctores communiter in casibus, quo cedere condu-
ctorum non teneri statuunt, (e. gr. si hypotheca sibi
prospexit) agnoscunt & ad tales oblationes eum ce-
dere non teneri docent. arg. l. 3. §. 3. ff. uti possid. Bald.
in l. si merces 25. §. vis major 6. ff. loc. cond. Guid. Pap.
in sing. 419. & decis. 180. ubi post Jac. de Aretino hanc
conclusionem communem esse dicit, Socin. vol. 4. consil.
90. Fachin. contrv. jur. lib. I. c. 88. in fin. & alii, quos
re-



refert Roland, à Valle vol. I. consil. 6. n. 4. & seqq. Nec ad rem facit, quod ad factum præstandum quis præcisè non teneatur, sed præstanto interesse liberetur. Rectè enim respondet ad hoc Bald. in d.l. si merces, quod procedat, si creditor ad factum præstandum agat, non autem si in possessione sit & excipiat, tunc enim factum præcisè est præstandum, præsertim tale quod in nuda patientia utendi consistit, & sine corporis molestia præstari potest: Planè, si constet liquidò, quid conductoris intersit. Ex gr. Conductor fundum 20. conduxit, eum autem ipsem non colit, sed alteri ampliori mercede, (forsan 25.) sublocavit, ideoque ipsius annum interessit in 5. consistit: illudque Conductoris solvatur, aut de eo quotannis solvendo idoneè caveatur, Conductor Domino rem suam vindicanti omnino cedere tenetur, quia Coloni tunc nihil amplius interessit arg. l. 32. ff. loc. cond. l. 3. §. 9. ff. ad exhib. Atque hæc de Colono, & quid Jus Civile de eo disponit, dicta sunt.

§. XIV.

Ædium autem Conductorem seu Inquilinum quod attinet, Imperator Antoninus in l. 3. Cod. de loc. & cond. ad preces Callimorphoniae ita rescribit: *Æde, quam te conductum habere dicas, si pensionem Domino in solidum solvisti, invitam te expelli non oportet, nisi propriis usibus Dominus eam necessariam esse probaverit, aut corrigere domum maluerit, aut tu male inre locata versata es.* Ecce! hic Imperator dicit, Conductorem ædium, extra casus ibidem expressos à Domino, quippe ad quem Rescriptum hoc

F 2

pro-

prohibitorum directum est, (ideoque sive ab ipso
 locatore sive ejus in Dominio successore sive uni-
 versali: sive singulari) expelli non oportere, Ex
 quo patet, melioris conditionis esse inquilinum
 quam Colonum. Hic enim ante finitum tempus
 privata authoritate expelli potest, & hoc modo fini-
 tur contractus, uti supra §. 1. & seqq. dictum est, illius
 autem expulsio sive privata sive judicialis non soli Lo-
 catori, uti Dd. communiter hoc rescriptum accipiunt,
 sed Domino nominatim est prohibita, unde inquili-
 nus non tantum locatori vel singulari ejus successor
 expulsionem sive privatam sive judiciale molien-
 ti, secundum vulgatum juris axioma: Ubi offendio
 est prohibita, ibi defensio est permissa l. ut vim. 3.
 ibique Bart. Jason. & Dd. comm. ff. de just. & jur. re-
 sistere potest, sed etiam, si expulsio de facto contin-
 gat, utpote contra legis prohibitionem facta, nullius
 efficaciae est, ideoque contractum finire non potest,
 quin potius judex, qui legum minister & custos est,
 habitationem contra legis prohibitionem a singulari
 successore occupatam eripere & inquilino, officium
 ejus imploranti, restituere tenetur. Idem etiam
 tradit Ulpianus his verbis: *Cum inquilinus dominum
 aedes reficere volentem prohiberet, aequè competere
 interdictum uti possidetis placuit, testarique domi-
 num, non prohibere Inquilinum, ne habitaret, sed ne
 possideret. l. 3. §. 3. ff. uti possid.* Unde iterum apparet,
 tantum abesse Inquilinum ante finitum tempus do-
 mino, sive ipse Locator sive ejus in dominio suc-
 cessor sit, cedere teneri, ut Inquilinus eidem, etiam si
 justam

justam expellendi causam, scilicet ædium reficiendarum, habeat, aliter tamen cedere non teneatur, nisi Dominus prius testetur, se non eò animo migrationem ab Inquilino exigere, ne habitaret, sed tantum, ne Inquilius refectionem ædium prohibendo possessionem civilem & consequenter dominium sibi arroget. Hac igitur contestatione non attentâ, si nihilominus inquilius refectionem illam prohibeat, & hoc modo dominum in possessione Civilis turbet, interdictum *uti possidetis* contra eum omnino datur *d.l.3.* Refectionis autem ædibus usum ædium Inquilino præcisè restituere tenetur. *Ludov. Bologn. in d.l.3. §.3. Roman. singul. 232. Franc. Cremon. singul. 74.* & post eos *Clud. rer. quotid. c.8. fcc. 3. num. 43.* Si igitur dominus restitutionem detrectet & Inquiliinum ad ulterius habitandum admittere nolit, quia tunc Inquiliinum à Naturali possessione & usu rei dejecisse videtur *arg. l.6. §.1. ff. de acq. poss. l.3. §.14. ff. de vi & vi arm.* Officio judicis ad restitutionem cogi potest ac debet.

§. XV.

Atque hoc ipsum disertè respondet Papinianus in *l.27. ff. de donat.* Ubi ita scribit: *Aquilius Regulus Juvenis ad Nicostratum Rhetorem ita scribit: Quoniam & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidisti: Dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoque uti: Defuncto Regulo, controversiam habitationis patiebatur Nicostratus, & cum de ea re mecum contulisset, dixi, posse defendi non meram donationem esse, verum effi-*

officium Magistri quadam mercede remuneratum
 Regulum, ideoque non videri donationem sequentis
 temporis irriiam esse. Quod si expulsus Nicostratus
 veniat ad judicem, ad exemplum interdicti, quod
 fructuario proponitur defendendus erit, quasi loco
 possessoris constitutus, qui usum cœnaculi accepit. Ut
 autem hic textus eō melius intelligatur, sciendum
 est, his verbis: *Dono & permitto tibi habitare in*
~~illico cœnaculo eoque uti:~~ Regulum habitationem,
 ut speciem servitutis personalis, Nicostrato non
 constituisse, alioquin controversia, quam hæredes
 Reguli Nicostrato movebant (quia servitus habita-
 tionis demum morte ejus, cui debetur, intercidit
 l. 10. pr. ff. de usu & habit.) inanis, & ineptus fuisset
 Papinianus, alioquin Excellentissimus & acutissi-
 mus JCTus, inter donationem meram & remunera-
 toriam hīc distinguens: Sola igitur commoditas
 & facultas cœnaculo utendi nudo pacto permissa,
 & donata erat, interquam & servitutem habitationis
 differentiam esse constat ex l. 6. ff. de serv. leg. Gi-
 phan. in lect. Altorf. ad l. 32. ff. de donat. num. 6. & 7.
 Deinde supponendum est, Iure Romano gratuitam
 concessionem habitationis vel hospitii non quidem
 precarium esse l. 15. s. 1. ff. de precar. Sed tamen,
 morte donatoris extingui h. text. & l. 32. ff. eod.
 (Unde autem hoc placitum originem trahat, & an,
 & qualē rationem habeat? Inter Interpretes non
 convenit vid. Cujac l. 17. observ. 33. Anthon. Faber
 l. 2. conject. c. 19. & in Error. pragmat. dec. 77. error. 8.
 Bachov. ad Treutler, vol. 2. diss. 19. th. 2. lit. A. Giphan.
 in

in d. l. 32. Wiesenbach, disp. 16. ad ff. §. 16.) Cum itaque Regulus verbis epistolæ insertis: *Dono & permetto tibi habitare*: gratuitam habitationem Nicostrato concessisse videbatur, illo defuncto controversiam hic patiebatur ab illius hæredibus. Papinianus autem contra hæredes Reguli respondebat ex hac ratione, quia hic non mera donatio sed officium à Nicostrato præstitum Regulus quadam mercede remuneratus erat, atque ita Nicostratus non gratuitò, sed quasi pro mercede (cujus locum officium Nicostrati Regulo præstitum subibat) adeoque ut Conductor habitabat. De eo itaque, cui remuneratoriè ideoque quasi pro mercede usus cœnaculi est concessus, pronunciat Papinianus, eum loco possessoris esse constitutum, ideoque ei expulso succurri debet ad exemplum interdicti, quod fructuario proponitur, scilicet *unde vi*, uti Gloss. & Dd. comm. in d. text. id haec tenus quidem recte exponunt, sed, quia vident hoc responsum Papiniani ipsorum traditionem (quasi per expulsionem conductoris, etiam ædium, finitus sit contractus, nec ei remedium ad recuperandam possessionem competit) evertere, illud ita restringunt, ut putent conductorem quidem vigore hujus textus officio judicis juvandum esse contra extraneum spoliatorem, non autem contra ipsum Dominum, ejusque in dominio successorem Gloss. & Dd. comm. in l. & non tantum 19. ff. de hæred. petit. Vincent. Caroc. de loc. & cond. p. 2. tit. de offic. judicis. Menoch. de recuper. poss. remed. 17. & ult. num. 21. Brunnemar. in

in d. l. 27. num. 13. & seqq. Sed perperam & contra
 perspicua textus hujus verba. Papinianus enim di-
 serte dicit, conductorē cœnaculi vel ædium *ad*
exemplum interdicti quod fructuario proponitur de-
 fendendum esse: Sicut itaque usufructuarius, et si
 alioquin non magis quam Inquilinus possidere di-
 citur l.6. §.2. ff. *de precar.* loco possessoris tamen
 habetur, eique proinde tanquam naturaliter pos-
 sidenti interdictum unde vi non tantum contra ex-
 traneos l.1. §.45. & l.13. §.13. & seqq. ff. *de vi & vi arm.*
 Sed etiam contra ipsum dominum datur l.9. §.1.
 ff. *eod.* Ita etiam Conductor ædium loco possesso-
 ris est habendus, & contra ipsum Dominum (uti
 hic Nicostratus contra Reguli hæredes, à quibus
 controversiam patiebatur & expulsus erat, & qui
 non extranei, sed cœnaculi Domini omnino erant)
 per interdictum *unde vi* quasi adhuc possideret (uti
 propter subitaneam restitutionem possessionis ha-
 betur is, cui interdictum hoc competit l.17. pr. ff.
de acq. poss.) defendendus, eique, quia loco posses-
 soris est constitutus, possessio illico restituenda est.
b. text. junct. l.1. §. dejicitur §. ff. de vi & vi arm. Com-
 munem igitur traditionem quam sequitur Carpzov.
lib. 5. Resp. Elec. 17. cum allegat. ibidem Dd. maxime
 in Inquiliño oppidò quam erroneam esse ex modo
 allatis perspicuis textibus in l.3. *Cod. de loc. & cond.*
l.3. §. 3. ff. uti possid. & *b. l.27. ff. de donat.* manife-
 stum est. Ut ut enim Colonum expellere liceat,
 ejusque expulsione finiatur contractus, & hinc nulla
 actio nisi sola illa ex Conduicto ad interesse contra
 Loca-

Locatorem ejusque hæredem competit l. 15. §. 8.
 l. 32. l. 33. ff. loc. cond. l. 9. l. 15. Cod. eod. l. 120. §. 2. ff. de
 leg. i. interdictum unde vi ei denegetur l. 1. §. 10. ff.
 de vi & vi arm. Dē Inquilino tamen idem nullibi,
 quin potius ejusdem contrarium in d.l.3. Cod. de loc.
 & cond. l.3. §.3. ff. uti possid. & l.27. ff. de donat. tradi-
 tur. Nec quicquam in contrarium movet, quod
 Inquilino æque ac Colono ab Emptore expulso actio
 non contra Emptorem, sed contra locatorem ejus-
 que hæredem detur l.25. §. 1. ff. loc. cond. Ideoque
 Emptor impunè prohibere possit Inquilinum, nisi
 habitationem lege venditionis nominatim exceperit
 eamque se ei concessurum promiserit l. 53. §. ult. ff.
 de act. empt. Hoc enim intelligendum est de acti-
 one ad interesse, quæ, ut personalis ex contractu
 nec Inquilino nec Colono non nisi contra Locato-
 rem, cum quo contractum est, ejusque hæredem
 ad interesse, cuius præstatio pœnæ vicem sustinet,
 competit l. 25. pr. ff. de obl. & act. Quoad interdi-
 ctum autem unde vi disparatio est Coloni & Inqui-
 lini, atque id quidem Colono denegatur l.1. §.10. ff.
 de vi & vi arm. Inquilino autem contra quem-
 cunque dejicientem, adeoque etiam contra Em-
 ptorem similemve successorem singularem, conce-
 ditur d.l.27. ff. de donat. Multo minus igitur In-
 quilius in possessione constitutus Emptori cedere
 tenetur. Cui enim expulso datur actio ad recupe-
 randam possessionem, ei multò magis dabitur exce-
 ptio ne expellatur l.156. §.1. ff. de reg. jur. C. qui ad agen-
 dum 71. eod. in 6. l.1. §.4. ff. uti possid. l.1. §.4. ff. de super-
 fic. G §. XVI.

§. XVI.

Denique etiam Jus Canonicum communi sententiæ contradicit, & qualemcumque Conductorem in usu rei conductæ durante contractu defendendum esse statuit. Quod enim Inquiline attinet Pontifex Clemens III. Statutum illud Bononiense: *Ut nullus Magistrorum seu scholarium super conductis aliorum hospitiis in lesionem & prejudicium habitantium audeat hospitem convenire, nisi prius confiterit tempus conductionis elapsum, vel Inquili in hoc favorem suum praestiterint & consenserint:* Quod sub pœna excommunicationis & anathematis ab Episcopo Tusculanensi antea factum erat, ratum habet & confirmat c. i. X. de loc. & cond. Recte omnino: Res enim conducta quoad usum non Domini, sed Conductoris, adeoque haec tenus aliena est l. 5. pr. & §. 2. ff. de injur. Quam in lesionem Conductoris tantum concupiscere, nedium occupare, lege divina prohibitum & peccatum est, cui Præsules isti occurrere volebant ac debebant. Adeo igitur Conductorem ædium ante elapsum conductonis tempus expellere Jure Canonico non licet, ut durante adhuc contractu ne quidem cum Domino ædium convenire & contrahere liceat, ut intuitu amplioris mercedis ipsi forsan oblatæ Conductorem expellat & contrahentem recipiat d. c. i. X. de loc. & cond. Præterea cuilibet Conductori durante contractu, ideoque injustè, dejecto, remedium canonis *Redintegranda caus. 3. quæst. 1.* contra dejicientem competit. Canon enim, qui (ut ut alio

alioquin de Episcopis loquens) tanquam remedium aliquod favorable ex sententia communiter & in praxi recepta etiam ad Laicos applicatur, testibus Roland à Valle lib. 2. conf. 50. num. 2. Menoch. de recuper. poss. remed. 15. num. 13. & seqq. dicit: Restituenda sunt omnia expoliatis vel ejectis Episcopis &c. per quascunque injustas causas res Ecclesiæ vel proprias aut substantias suas perdidisse noscuntur &c. Cum itaque res conductæ quodammodo nostræ sint, & ad substantias nostras pertineant d.l. 5. ff. de injur. Et hoc remedium non tantum spoliatis (quo nomine propriè veniunt illi, qui de possessione Civili dejecti sunt) sed etiam ejectis (qualis locutio etiam ad eas, quia tantum naturaliter possidere aut in possessione esse dicuntur, ideoque ad Conductores pertinet l. 54. §. 1. l. 61. pr. ff. loc. cond. l. 3. l. 15. Cod. eod.) competit, rectè concluditur, hoc remedium etiam conductoribus injustè dejectis competere. Quæ sententia etiam communi Dd. calculo est approbata testibus Socin. in l. rem quæ nobis 15. ff. de acq. poss. n. 6. Ripa ibidem n. 21. Natta vol. 3. conf. 563. n. 29. Cæsar. Contard. in l. un. Cod. si de mom. poss. fuerit. appell. lim. 21. num. 2. Clud. rer. quotid. c. 1. num. III. Caroc. de loc. & cond. p. 2. rubr. de remedio canonis redintegranda. Planè Menochius de recuper. poss. remed. 15. n. 45. & seqq. cum aliis ibidem allegatis Doctoribus existimat, verba illa: expoliatis & ejjectis. unum idemque significare & tantum de veris possessoribus spoliatis & ejjectis intelligenda esse, ideoque nudis detentoribus hoc remedium non-

competere, Cujus opinio quidem quoad ejusmodi nudos detentores, qui vel nullius vel faltem non suæ sed alienæ utilitatis gratia rem detinent, uti sunt procurator, hospes, servus, filius familiâs, depositarius &c. admitti potest: Alia autem est ratio usufructuarii, coloni, Inquilini, & commodatarii, etsi enim hi jure civili non possidere credantur, attamen usus gratia in possessione sunt. l. 6, §. 2. ff. de precar. ideoque si ante finitum tempus contractus, quo usus rei ipsis promissus est, dejiciantur, injustè dejiciuntur, consequenter remedium hujus Canonis ipsis competit. In his igitur communis opinio multò magis locum habet. Sed potissima difficultas adhuc in eo residet, utrum hoc remedium conductori etiam contra dominum ejusque singularem successorem detur? Hoc unanimi consensu negant Doctores, propter traditionem suam: *Emptor non tenetur stare Colono: Caroc. suprà cit. loc. ibique Dd. allegati.* Sed, quia hæc traditio eo sensu: quasi conductor nullatenus, ac nequidem quoad sustinendam exceptiōnem ex contractu venditoris, Colono stare teneatur; erronea est, canon autem indefinitè contra quemcunque alterum injustè dejicientem restitutionem ablati concedit, firma manet conclusio, quod hoc remedium cuilibet conductori contra Locatorem, ejusque successorem, ut ut singularem intempestivè dejicientem competat, & consequenter conductor ante finitum contractum singulari successori non tantum non cedere teneatur, sed etiam de facto ab eodem expulsus restitui debeat. Canon enim non pos-

possessionis aut personæ dejicientis qualitatem, sed tantum dejectionis injustitiam respicit.

§. XVII.

Atque hoc etiam Naturali rationi, quæ lex quædam tacita & divinâ providentia inter homines constituta est l.7. ff. *de bon. damn. §.ii. instit. de J. N. G. & Civ. & §. ii. instit. de rer. div.* convenit. Ut enim Condu^ctor passim in Jure Civili Naturaliter possidere dicitur l.7. l. II. ff. *com. div. l.2. §.i. ff. pro hæred.* l.38. §.7. *de V.O. l.3. §.ult. cum l. seq. ff. ad exhib.* Ita etiam naturaliter, id est inspecta rei veritate (*arg. l.30. Cod. de jur. dot. verb. naturaliter*) vere poscidet. Detinet enim rem conductam animo sibi eam habendi: in quo essentia possessionis consistit l.1. pr. §.3. 9. 20. l.3. l. 4. l.41. l.46. ff. *de acq. poss.* l.67. pr. ff. *de furt.* l.2. *Cod. de prescr. 30. ann. Strue. exerc. 42. th. 3.* Et quamvis rem conductam non animo Domini, in quo propriè possessio Civilis consistit, detineat, suæ utilitatis tamen gratia eam detinet, in quo iterum essentia possessionis Naturalis consistit, & cuius intuitu aliis etiam non Dominis possessio Naturalis asseritur. Ita enim naturaliter possidet creditor pignoratius l.7. §. 12. ff. *com. div. l.35. §. ult. l.40. §. ult. ff. de pign.* l.31. ff. *de acq. rer. dom.* l.13. §. i. ff. *qui satisd. cog.* l.31. ff. *de pign. & hypoth.* Superficarius l.1. §. i. & 2 l.2. ff. *de superfic.* is qui precariō rogavit l.15. §.4. ff. *de precar.* l.3. l.5. ff. *de acq. poss.* l.13. §. i. ff. *de publ. in rem act.* Usufructuarius l.12. pr. ff. *de acq. poss.* Sequester apud quem omittendæ possessionis causa res deposita est l.17. §. i. ff. *depos.*

deposit. l. 39. ff. de acq. poss. Imò manifestus fur & prædo
l. i. §. ult. ff. uti possid. l. 6. ff. de acq. poss. l. 67. pr. ff. de
furt. Quidnì igitur possessio Naturalis Conductori
 qui actus possessionis, utendo re conductâ ut
 Dominus, & quidem suæ utilitatis gratiâ, exercet,
 afferenda erit? Cui enim competit definitio ei-
 dem etiam competit definitum. Et si usufructua-
 rijs, & qui precariò rogavit, naturaliter possidere
 potest, quidnì etiam Conductor? Uterque enim
 ex illis non magis animum habet rem alienam usus
 gratia habendi, quam Conductor. Imò is qui pre-
 cariò rogavit, cum is ad nutum Domini rem quo-
 vis tempore restituere teneatur *l. i. & t. t. ff. de pre-
 car.* Ideoque de usu rei sibi nihil certi promittere
 possit, tantum animum sibi habendi quantum Con-
 ductor, cui ad certum tempus usus est concessus,
 non habet aut habere potest. Et quid inter posses-
 sionem usufructuarii & Conductoris interest? Pro-
 fectò nihil. Etsi enim usufructuario simul jus in
 re, ad proprietatis causam pertinens, competit, hæc
 tamen cum possessione nihil commune habet *l. 12.*
§. 1. ff. de acq. poss. quoad possessionem enim solus
 animus habendi spectatur, ejusque intuitu etiam
 fur & prædo, qui tamen, cum invito Domino rem
 adepti sunt, ob defectum tituli vel causæ possidendi
 nullum jus in re habent aut habere possunt, possi-
 dent. Accedit, quod usufructuarius cum Inquili-
 no & Colono comparetur, eique æque ac his pos-
 sessio denegetur *l. 6. §. 2. ff. de precar.* Si igitur
 salva juris ratione usufructuarius, & ad exemplum
 ejus



ejus Inquilinus, nihilominus loco possessoris consti-
tui, iisque pro defendenda sua possessione remedium
dari potuit, uti supra §. 15. dictum est. Sanè à ra-
tione prorsus alienum est, possessionem ejusque ef-
fectus soli Colono Jure Civili denegari.

§. XVIII.

Falsâ igitur hypothesi nititur Jus Civile, dum Conductor, maximè autem Colono, possessionem naturalem denegat, & respectu ejus possessionem vacuam, & consequenter à quovis, etiam extraneo (*vid. l. ult. ff. de vi & vi arm.*) occupabilem habet, siquidem huic vacuo non tantum sensus communi-
nis, sed etiam Jus Civile alibi contradicit, ita enim Paulus scribit in l. 2. §. 1. ff. acq. empt. *Vacua possessio Emptori tradita non intelligitur, si alius in eâ Legatorum fideiive commissorum servandorum causa in possessione est, vel credidores bona possideant, idem dicendum est, si venter in possessione sit, nam & ad hoc pertinet vacui appellatio.* Hi autem non magis quam Conductor possident, sed rem tantum custo-
diæ causa detinent l. 3. §. ult. l. 10. §. 1. ff. de acq. poss.
l. 12. ff. ex quib. caus. in poss. eat. Nec ad rem facit, quod habeant jus in re, pignus scilicet prætorium: Siqui-
dem proprietas (ad cuius causam pignus pertinet) nihil commune habet cum possessione, ideoque quando quæritur, an hi possideant nec ne? non
inspicitur an jus in re habeant, sed an rem ipsam de-
tineant animo alicujus utilitatis aut compendii
causa sibi habendi: Hujus intuitu igitur vacuam esse possessionem ejus rei quam illi detinent, ibidem

ne-

DOD

negatur. Cum itaque Conductor non nudæ custodiæ, sed usus sui gratia, in quo commodum possessionis maximè consistit *l. ii. ff. de vi & vi arm.* rem conductam detineat, sanè possesio rei conductæ multò minus vacua dici potest. Similiter huic vacuo contradicit Javolenus in *l. 79. ff. de solut. & liber.* ubi possessionem ejus rei, quam alius corporaliter detinet (uti Conductor) per traditionem quæ longa manu (oculis scilicet & affectu) fieri dicitur, in alterum transferri posse negat, quæ tamen alioquin, si res naturaliter vacua esset, omnino in alterum transiret *d. l. 79. & l. i. §. 21. l. 18. §. 2. ff. de acq. possess.* Accedit, quod possesio, & utrum aliquis possideat nec ne? non à dispositione Juris Civilis dependeat, sed à facto detentionis alicujus rei cum animo eam sibi habendi, ideoque res facti sit. Ubi igitur talis detentio, ibi etiam possesio est, nec ejusmodi factum à Jure Civili infirmari & possesio tali detentori negari potest, uti Paulus docet & exemplis declarat in *l. i. §. 3. & 4. ff. de acq. poss.* Præterea etiam hypothesis illa, quod Conductor non possideat, peccatum foveret, ex ea enim licentia Conductorem propria & privata autoritate expellendi & hoc modo fidem contractus rumpendi fluit, uti supra ostensum est. Rumpere autem fidem contractus est contrahentes decipere *l. 51. Cod. de Episc. & cler. l. pen. Cod. de pact.* & consequenter peccatum *l. i. ff. de constit. pecun.* Et quamvis Emptor similisve singularis successor cum Conductore non contraxit, ideoque eidem excontractu Locatoris agenti stare non



non tenetur, quoniam tamen omne jus suum à Locatore habet, & ex ejus personā lucrum capit, ad præstandum factum ejus eatenus saltem, ut exceptiōnem ex ejusdem contractu adversū se admittat, & Conductorem uti frui patiatur, ex æquitate naturali obligatus est. l. 6. ff. de except. l. 177. pr. l. 149. ff. de R. J. junct. l. 1. pr. ff. de O. & A. verb. aut proprio quodam jure ex variis causarum figuris. Contra quam, si intempestivē conductorē expellit, omnino peccat. Nec moveat, quod Locator, si ipse conductorē intempestivē expellat, aut alienatione vel venditione reilocatā ansam expellendi singulari successori præbeat, rupturam contractus impunē non ferat, sed ejus nomine ad intereste Conductorī teneatur; & consequenter damnum per intempestivam expulsionem illatum hoc pacto reparari posit ac debeat: Siquidem contra rationem juris non tantum est, ut loco usus, qui Conductorī ex contractu debetur, ipsi invito actio contra Locatorem, adeoque aliud pro alio, obtrudatur l. 2. §. 1. ff. de reb. ered. l. 16. Cod. de solut. sed etiam remedium hoc reparandæ injuriæ per intempestivam expulsionem illatæ propter difficillimam probationem ejus quod interest, ob cuius defectum plerumque ad exiguum & justā minorem summam deduci soleat, teste Venulejo in l. ult. ff. de stip. pret. ineptum & inidoneum, & consequenter remisio conductoris ad Locatorem pro exigendo intereste prorsus iniqua conditio est, quæ alteri per alterum offerri non debet, l. 74. ff. de R. I. Maximus autem nævus Juris

H

Ro-

Romani in eo adhuc residet, quod Locatori ejusque successori contra fidem contractus privatam & violentam expulsionem, & simul Conductori facultatem isti expulsioni resistendi permittit. Quod sanè nihil aliud est, quam partes inter se committere, ut viribus suis experiantur quis alterum superare valeat, Ex quo conflictus tumultus & cædes oriri necesse est, qualia in Republica Christiana non toleranda, multò minus sufflaminanda, quin potius præscindenda & acriter compescenda sunt, l. 176. ff. de R. I. l. 13. ff. quod met. caus. l. 13. §. 3. ff. de usuf. l. pen. & ult. ff. ad L. Jul. de vi priv. l. 7. Cod. unde v. l. 3. §. 6. l. 10. §. 2. cum l. seq. ff. ad L. Jul. de vi publ. junct. Deutron. cap. 24. vers. 6. Ubi Deus T. O. M. sancit. Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet Tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas. Si igitur privata executio ne quidem in verum debitorem permisſa est, multò minus singulari successori, cui Conductor nihil debet, cum propriâ authoritate usu rei conductæ intempestivè spoliare licebit.

§. XIX.

Planè Interpretes nævum hunc Juris Romanī dissimulant, & adversus resistentem vim non adhibendam, sed judicio opus esse contendunt Gloss. & Dd. in l. æde 3. Cod. de loc. & cond. & l. Emptorem 9. Cod. eod. Anton. Faber in Codice suo lib. 4. tit. 41. Coler. de process. execut. lib. 1. cap. 2. num. 176. Carpzov. p. 2. confit. 37. def. 7. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 24. lib. 12. & 13. Quæ quidem sententia, quoad

iii-



interdictam violentam expulsionem, ut ut à ratione Juris Civilis aliena, saltem æqua & favorabilis est; ideoque merito in foro obtinet. Quod autem singulari Successori officio judicis Conductorem etiam ante finitum tempus expellendi facultatem concedant, & conductori adversus istam iniquam expulsionem facultatem se defendendi & excipiendi adimant, eique præterea de facto expulso citra distinctionem inter Colonum & Inquilinum, & utrum in continenti an exintervallo dejectus sit § remedium recuperandæ possessionis denegent, & possessionem Conductoris pro nuda & Afinina detentione habeant, non tantum à naturali ratione prorsus alienum est, sed etiam ipsi Juri Civili contrariantur & perniciosus error est. Accedit quod injuria, quæ Conductori intempestivâ illâ expulsione inferatur, per remissionem ejus ad Locatorem ejusque hæredem ad præstandum interesse reparari non possit. Præterquam enim, quod actio pro consequendo interesse *per supra §. precedente adducta* idoneum ejusdem rei remedium non sit, multò iniquior adhuc conditio conductoris fit, si pro probando & exigendo interesse ad nostra judicia remittitur. Jure enim Civili, unde remissio hæc procedit, modus procedendi in judiciis non adeò sumptuosus & prolixus est, siquidem prima instantia in causa Civili triennio post litem contestatam terminatur *l. properandum 13. §. 1. Cod. de judic.* & processus appellationis ultra annum non extenditur, nisi per judicem steterit, aut inexorabilis causa

H 2

acci-

acciderit appellanti, quo casu biennium ei conceditur *l. ult. §. 4. Cod. de temp. & rep. appell. Nov. 49.* in pr. & hinc desumpta Authent. Ei qui appellat. *Cod. ead.* Præterea appellare non licet, nisi à sententia definitiva *l. 21. l. 36. Cod. de appell.* & eodem Jure Locator victus necessario in expensas condemnandus est. Adeò quidem, ut judex hanc condemnationem prætermittens expensas victori ex propriis refundere teneatur. *d. l. properandum §. 6. Cod. de judic.* Jure autem Canonico, secundum quod in judiciis nostris potissimum proceditur, & in praxi forensi longè aliter se hæc omnia habent, atque exinde ab nimias istas tergiversationes & moras judiciales, quas jus illud & practicorum traditiones Reis suppeditant, & ob multitudinem instantiarum, lites fere immortales fiunt. Præterea victus raro in expensas condemnatur, sed illæ plerumque & ut plurimum ex causis in jure parum fundatis & frivolis compensari solent. Quid igitur Conductor, qui ad exigendum interesse, quod naturâ suâ facti incertissimi adeoque difficillimæ probationis est, & consequenter formalem processum nequirit, ex ista actione, etiam in justissima causa, sibi promittere poterit, præsertim, si in adversarium potentem, iniquum rixosum vel alio modo molestum & difficilem incidat? Profectò etiamsi interesse suum probet idque ei adjudicetur, computatis laboribus, molestiis & expensis, Nihil! Hic enim vulgaris hodiernorum processuum, proh dolor! exitus est, uti experientia testatur, & nævum hunc judi-

judiciorum cum aliis notat Carpzov. *Jurispr for p. i.*
constit. i. def. 9. Remissio igitur Conductoris ad
 exigendum interesse à locatore ejusque hærede in
 effectu elusoria est, & per hanc manifesta injuria
 conductori in fertur; si ei ante finitum locationis
 tempus res locata non cedatur.

§. XX.

E contrario autem Emptori similiive successori singulari hoc pacto nulla fit injuria, siquidē detentio &
 usus ille Conductoris impedimento non est, quo minus possessor & dominium ad Emptorē transeat *l. ult.*
ff. de jur. fisc. l. 13. §. ii. ff. de a&t. empt. Emptor itaque
 hoc modo vicem Locatoris subit pensionem à Con-
 ductore recipiendo & ita re suā fruitur. *l. 39. ff. de*
usufr. Imō, & si eo fine emerit, ut principali restat
 fruatur, hoc tamen Conductorī, ut tertio præ-
 judicare non poterit, sed si Emptor spe suā frustretur,
 sibi imputet, quod rem alteri locatam, adeoque
 ratione usus alienam emerit. Sin autem ignorans
 rem locatam emerit, & læsum se esse putet, ven-
 ditorem, cum quo contraxit, & qui ad tradendum se
 obligavit & tenetur, conveniat, ut ei rem venditam
 tradat, vel, si non possit, interesse præstet: Cum
 Conductor autem non contraxit, ideoque nulla
 hic subest obligatio, quā hic illi cedere teneatur,
 quin potius hoc ipso, quo Emptor in jus vendoris
 & locatoris successit, ejusque personam repræsentat,
 ejus factum præstare & usum rei durante contractū
 conductori concedere naturaliter obligatus est,
 ideoque eum citra manifestam injuriam ante fini-
 tum


tum contractum expellere nequit. In summa juris ratio & æquitas passim exigit, ut Condu^ctor durante contractu etiam contra singularem successorem in possessione suâ defendatur, cuius in judiciis Christianis meritò potior habenda est ratio *l. placuit 8. Cod. de judic. l. 90. ff. de R. I.* Sicut igitur ob hanc æquitatem Belgarum & aliarum civitatum Statutis hæc parcemus: *Huyr gaet voor Koop*: recepta est *Vinn. in §. ult. instit. de loc. & cood. Grot.lib.3. introd. c.19. Gudelin. de jure noviss. l. 3. c. 7. Granewegen de LL. abrogatis in l. 9. Cod. de loc. & cond. & alii ibidem allegat. Dd.* Ita etiam in nostra Facultate secundum illam subinde pronunciamus; idque meritò: Ubi enim Jus Civile peccatum fovet, in foro Christiano attendi non debet *c. ult. X. de prescript. ibique Canoniſtæ comm.* Et veterum quorundam JCtorum sententiā, quasi communis error jus faciat, jamdudum explosā, communis schola rectè statuit, quod à communi opinione, si manifesto errore & iniuste laborare deprehendatur, in judicando recedi possit ac debeat per *l. 5. §. 2. ff. de impens. in res dot. fact. Mascar. de prob. vol.3. concl. 1138. num. 3. & 6. Hartman. Pistor. lib.2. quæst. 36. num. 3. & lib.3. quæst. 1. num. 38. Nebelkrå lib.1. decisi. Steph. Nathen. de justit. Vuln. in opin. c. 3. num. 2. Hahn. ad Wesenbec. tit. ff. de usucap. num. 14. Struv. syntagm. jur. civ. exerc. 2. th. 51.* Rectè omnino: Sicut enim minimè sunt mutanda quæ interpretationem certam (non erro-neam) semper habuerunt *l. 23. ff. de LL.* ita è con-trario, *quod non ratione introductum ed errore pri-mum,*



mum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet l.39. ff. eod. Et quid multis? Imp. Justinianus secundum erroneam & iniquam sententiam, ut ut multitudine authorum receptam, judicare nominatum prohibet, & è contrario unius opinionem quamvis singularem, modo æquiorem & veriorem, in judicando attendendam præcipit in l. I. §. 6. Cod. de vet. jur. enucl. verb. Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius aut æquius est, jucicatore, cùm possit unius forsan & deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare. Quod ipsum etiam Jus Divinum inculcat Levit. 23.
vers.2. Sicut igitur sententia: Rauff hebt Miethe nicht auf: ut ut singularis non tantum æquitati naturali, sed etiam juri communi convenientior est, ita etiam secundum eam non attenta opinione contraria, quamvis communi, in foro Christiano pronunciandum esse meritò concludo, & monito Apostoli: Ne quis opprimat ac defraudet fratrem suum in negotio, propterea, quod ultior est Dominus de omnibus his: Epist. I. ad Thessalon. c.4. vers.6.
discursui huic colophonem impono.

FINIS.





00 4 6400
vd18



KD-17



Kauff
hebt Miethe nicht auf/
SIVE
COMMENTATIO,
Ad L. Emptorem 9. Cod. de loc. & cond.
QVA
Communis sententia & hinc enata vul-
garis paroemia:
Kauff geht vor Miethe:
Denuò & fusius refellitur,
AUCTORE
HERMANNO ZOLLO,
Jcto, Consiliario Hassiaco & Professore Juris in
Academiâ Hasso-Schaumburgicâ Primario.
Anno  *1705.*

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Prostat NICOLAI FORSTERI, Bibliopol. Hannov.
RINTHELI,
Sumptibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ.